

ctorem, erronea sententia absolutum, per rem judicatam non reddi absolute tutum in conscientia.

IV. In c. 2. de purgat. vulg. INNOCENTIUS III. ei, qui furti in judicio condemnatus fuerat, postquam innocentia ejus detecta fuit, universa restitui præcipit, quæ illius prætextu criminis illi fuerant ablata; non obstante, quod sententia transiisset in rem judicatam.

V. Sententia judicis fundatur in præsumptione justitiæ et meritorum causæ, c. 13. in fin. h. t. Sed præsumptio debet cedere veritati, maxime pro foro conscientie; ergo.

658. Ad 1^{am}. R. Tam qui læsit, quam qui egit contra pactum, aut metu licet levi aliquid extorsit, in mala fide est; nec his leges positive assistunt, tribuendo jus, sicut in casu nostro; sed habent se negative, non dando actionem illi, qui pactum nudum iniit, metu levi injusto aliquid extorsit, læsit. Quanquam moribus hodiernis, de consuetudine etiam detur actio ex pacto nudo juxta n. 470.

Ad 2^{am}. R. In L. 28. sermo est de eo, qui licet absolutus, nihilominus sponte solvit; quo casu recte negant jura repetitionem soluti; eo quod tunc donasse censeatur per L. 52. ff. de R. J. ubi: *cujus per errorem dati repetitio est; ejus consulto dati donatio est.* L. 60. vero procedit de eo, qui, debiti conscius, mala fide litigaverat, ut colligitur ex ipsa lege; ideo enim debitor lite contestata jam solverat ante sententiam, quod alias non fecisset, nisi conscius fuisset debiti; supponit lex, constituisse, eum vere debitorem fuisse; talem enim appellat, comparatque illi, qui sic promisit: *sive navis ex India venerit; sive non*, etc. Sed ita promittens conscius est debiti. Adde: in hac lege nihil dici de casu, quo sententia in rem judicatam transiisset; ergo hic ex aliis legibus decidi debet.

Ad 3^{am}. R. C. A. D. Cons. Si causa redit ad non causam C. in sensu conclusionis N. Sed casum, quo causa redit ad non causam, ipsi jam supra excepimus.

Ad 4^{am}. R. N. Cons. Sententia enim cit. cap. relata, obnoxia fuit retractationi; quippe lata ex probatione falsa, a jure reprobata; nimirum ex sola purgatione vulgari per duellum; ideoque non transiit in rem judicatam absolute, sed rescindibiliter etiam pro foro externo; ac proinde rescindi debuit, falsitate detecta. Itaque nobiscum respondere debent adversarii, ne alias contra ipsosmet sequatur; nequidem pro foro externo rem judicatam aliquid operari. Quæ retorsio in aliis adversariorum argumentis locum habet.

Ad 5^{am}. R. D. M. Fundatur in præsumptione justitiæ, et meritorum causæ secundum se præcise spectatæ C. quoad firmitatem, et auctoritatem suam N. Quoad firmitatem, si in rem judicatam transierit, nititur, sicut præscriptio, auctoritate legali, et bono publico, sive Reipublicæ, cujus salus, ut jam pridem aiebat Cicerō orat. pro Sylla, rebus judicatis maxime continetur; cum publice magis expediat, ut sententiæ firmæ sint, quam semper justæ. Unde et leges quæ sententiam post transitum in rem judicatam haberi pro veritate volunt, et pro jure constituunt; non in præsumptione meritorum causæ, sed bono publico fundantur.

APPENDIX

DE VIRTUTE RELIGIONIS.

EX OPERE DE JUSTITIA ET JURE

R. P. LEONARDI LESSII, S. J.

CAPUT I.

DE RELIGIONE IN GENERE.

DUBITATIO I.

QUID SIT RELIGIO.

1. Nomen *Religio* ductum est vel a *relegendo*, quod ea, quæ ad Dei cultum pertinent, sæpe animo sint revolvenda et veluti relegenda, ut vult ISIDORUS, L. 10. Etymologiarum c. 17. ex Cicerone: vel a *reeligendo*, quod per eam Deum, quem per peccatum rejecimus, reeligamus, ut inquit AUGUSTINUS, L. 10. de civitate c. 4.: vel a *religando*, quod Deo nos astringat et alliget; ita LACTANTIUS, L. 4. divin. instit. c. 28. D. AUGUST., L. 1. retract. c. 13. et D. HIERONYMUS in cap. 9. Amos, quæ derivatio maxime videtur nomini et rei consentanea.

2. Definitur a D. AUGUSTINO, L. 83. QQ. q. 31. ex Cicerone hoc modo: *Religio est virtus quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, cultum ceremoniamque adfert.* Planius sic: *Religio est virtus quæ debitum cultum Deo, tanquam primo rerum omnium principio exhibet.* Ubi

Notandum est, sicut hominibus ob potentiam, sapientiam, virtutem, et cujusvis perfectionis excellentiam, debetur quidam cultus, seu honor, quo illam eminentiam cum quadam nostri demissione testemur; ita Deo ob singularem et infinitam excellentiam in omni genere perfectionis quam habet ut Deus est, seu ut primum principium et supremus omnium Dominus, debetur quidam singularis honor, veluti tributum quoddam ab omni creatura rationali; quo illius excellentiam et suam subjectionem et in omnibus dependentiam testetur. Ad hunc honorem exhibendum inclinât *Religio*. Itaque objectum Religionis est omne testimonium, et signum sive internum,

sive externum, quo divinam excellentiam cum quadam nostri submissione protestamur. Dico, cum quadam nostri submissione, quia non solum debitum est, ut ipsius excellentiam testemur nude et abstracte; sed etiam ut eam testemur respectu nostri, profitendo nostram subjectionem et dependentiam ab ipso; ut ait D. THOMAS a. 3. et hoc ipsum, nomen *cultus* insinuat, quod submissionem involvit. Unde *Religio* utrumque proficitur; ac proinde non potest esse nisi in creatura, et respectu sui principii.

3. *Dices*: Se alteri submittere, et hanc submissionem aliquo signo profiteri, est officium humilitatis; ergo non pertinet ad religionem.

R. N. *Cons.* Quia diversa ratione ad diversas virtutes spectare potest. Est enim actus humilitatis, si fiat quia congruit nostrae vilitati, ut intra limites nostrae conditionis nos confineamus, ne per elationem extra eos feramur. Est actus religionis, si fiat animo declarandi eminentiam divinam, seu ut ipsam honoremus submissione nostri.

4. Ex his facile potest intelligi definitio assignata. Est igitur *Religio virtus*, quia habentem bonum efficit, ejusque opus bonum reddit et laudabile: laudabile enim Deum colere. In hoc autem consistit ratio virtutis, ut saepe docet D. THOMAS ex Aristot. 2. *Ethic.* cap. 6. *quae cultum exhibet.* *Cultus* idem est hoc loco, quod honor, non simpliciter, sed cum quadam nostri submissione exhibitus: quam submissionem honor in genere non includit; Deus enim honorat sanctos, non tamen colit: itaque honor est quid communius cultu. Porro *honor*, generatim nihil est aliud quam testimonium excellentiae alterius, sive id verbis fiat, ut cum aliquis laudatur: sive gestu corporis, ut genuflexione, apertione capitis, submissione corporis: sive rebus externis, ut erectione statuæ, descriptione elogii, institutione festorum, ludorum, et similibus. Hæc enim omnia sunt signa quædam quibus alterius excellentiam significamus, ac proinde illum honoramus. *Deo debitum*; cum enim Deus, qua Deus, infinita excellentia in omni genere perfectionis simplicis et puræ sit præditus, peculiari honore supra omnes creaturas est dignus; cumque idem sit primum principium, a quo omnia habent esse, vitam et omnia; nascitur in creatura rationali, quæ hoc potest apprehendere, obligatio et debitum ut hunc honorem ei deferat, et in Deo jus ut illum exigit.

Itaque hoc debitum fundatur in essentiali dependentia creaturæ rationalis et omnium honorum ejus a Deo. Sicut enim Principi, quia ab eo quodammodo dependet tranquillitas publica, et felix status Reipublicæ, debetur honorarium quoddam tributum, quo ejus potestatem et beneficentiam nostramque subjectionem profiteamur; ita Deo, quia ab ipso dependet esse, vita, et bonum omne nostrum, debetur singularis honor, veluti quoddam tributum, quo hoc ipsum cum profunda nostri submissione testemur. Itaque illis verbis, *tantum primo rerum omnium principio*, significatur simul causa, cur Deus hoc cultu sit dignus (ratio enim primi principii includit vel supponit omnem excellentiam perfectionis) et cur a creatura ei sit debitus.

5. Ut hæc melius intelligantur, notandum est in officio religionis quatuor actus spectari posse, qui quo perfectiores sunt, eo perfectior est hujus vir-

tutis functio. *Primus* est, consideratio infinitæ majestatis Dei, et omnia ab ipsa pendere. *Secundus* est, consideratio nostri nihili; id est, nos ex nobis nihil esse, nihil habere; sed quidquid sumus et habemus, Dei esse et a Deo assidue pendere. *Tertius*, profunda mentis submitio et inclinatio coram Deo, qua mens hæc ipsa interius testetur. *Quartus*, eorundem professio exterior, verbis, gestu corporis, vel aliis modis.

DUBITATIO II.

UTRUM RELIGIO A CÆTERIS VIRTUTIBUS DISTINGUATUR, ET QUOMODO.

6. *Dico I.* Religionem distingui ab iis virtutibus, quæ hominem recte componunt in seipso, seu non ad alterum, ut a temperantia et fortitudine: nam religio disponit hominem ad functiones, quæ in alterum tendunt: temperantia vero et fortitudo ad functiones, quæ tantum ipsum subjectum respiciunt.

7. *Dico II.* Distinguitur etiam ab omnibus iis, quæ hominem disponunt in officiis ad proximum, ut a misericordia et justitia particulari; quia religio disponit hominem ad Deum.

8. *Dico III.* Distinguitur etiam a virtutibus theologis. Ita D. THOMAS a. 3. *A fide* quidem, quia fides est virtus intellectus, religio affectus. Sæpe tamen *fides* vocatur *religio*, quia est religionis fundamentum, et regula. Sic vera fides dicitur vera religio; falsa fides, religio falsa. Verum cum fides non solum sit habitus intellectus, sed complectatur etiam habitum quemdam voluntatis, nempe piam affectionem ad credendum Deo revelanti, quæ actum fidei impetret, ratione cujus ipsum credere est liberum et meritorium; difficultas est quomodo ab hoc affectu distinguatur. Sane parum videtur differre; quia actus fidei pertinet ad honorem primæ veritatis. Potest tamen inveniri aliquod discrimen. *Primo*, quia religio versatur circa suos actus externos, ut sunt signa divinæ excellentiæ: sub ea enim ratione sunt a religione voliti. At affectus credendi non ita versatur circa actus fidei: non enim considerat actus fidei ut signa primæ veritatis, neque sub ea ratione illos vult; sed ut sunt vitales assensus, quos illud objectum, nempe res credenda sic proposita, et a divina auctoritate veluti informata, elevata et illustrata postulat. *Secundo*, quia tota ratio, cur religio suum actum externum imperet, est, ut Deo honorem deferat, ejusque excellentiam testetur. At ratio cur affectio credendi imperet istos actus fidei, non est ut honorem Deo exhibeat (etiamsi ob hunc finem possint imperari), sed quia materia ipsa, divina auctoritate confirmata, id postulat; vel (quod fere idem est) quia obligatio ad illum actum orta ex revelatione sufficienter proposita id requirit. Et sic est peculiaris virtus habens peculiarem materiam, in qua considerat propriam honesti rationem. Posset etiam dici, hunc affectum pertinere ad quamdam justitiam hominis erga Deum; quia actus ille debitus est primæ veritati tanquam necessarius, ut non censeatur contemni aut vilipendi. Nolle enim credere viro gravissimo affirmanti, est quodammodo contemnere, et parvam

de illo habere existimationem. Qua in re esse injuriam, patet communi hominum judicio, qui hoc injuriam interpretantur; et merito: nam continet quemdam contemptum et vilipensionem alterius absque causa, quæ non minus est contra justitiam quam temerarium de illo judicium. *A spe et charitate* distinguitur, quia hæc virtutes immediate attingunt ipsum Deum, tanquam proprium objectum: charitas enim amat Deum ut ipse est bonum suum; vult enim ipsam divinitatem, et omne bonum, ipsi Deo, ut ipsi in se bene sit: spes illum desiderat et sperat ut est bonum nostrum. Itaque inclinant in actum internum, qui proxime versetur circa ipsum Deum. Religio vero non versatur immediate circa Deum, sed circa cultum Dei, id est, circa signa interna vel externa, quibus Deus honoratur et colitur.

9. *Dices 1º.* Objectum formale religionis est excellentia divina; ergo versatur proxime circa Deum, ac proinde est virtus theologica. *Antecedens* probatur, quia sicut Deus propter suam bonitatem diligitur *charitate*; ita propter divinitatis excellentiam colitur *religione*: et sicut Deo credimus per fidem, propter auctoritatem divinam; ita ei honorem exhibemus ob excellentiam infinitam.

R. Excellentiam divinam proprie non esse objectum religionis; sed cultum divinum, qui est actus externus religionis. Illud enim est objectum virtutis, in quod ipsa virtus immediate tendit: atqui religio tendit immediate non in excellentiam divinam, sed in ejus cultum; est enim affectus quidam erga cultum divinum, quatenus Deo debitus est et congruens. Unde ratio debiti et congruentis Deo in cultu divino spectata, est ratio formalis objectiva religionis; cum enim religio sit justitiæ pars, necessario respicit debitum alteri. Confirmatur a simili: Nam ita se habet religio ad Deum, sicut justitia particularis ad proximum: atqui proprium objectum justitiæ particularis non est proximus, sed res proximo debita; ergo similiter objectum religionis non est Deus aut excellentia divina, sed cultus Deo debitus; ut sacrificia, oblationes, laudes, orationes, vota, imagines, et omnes cæremoniæ, quibus divinitas honoratur. Excellentia tamen divina est objectum formale cultus divini: est enim ratio cur Deus sit colendus. Quare cum cultus divinus sit actus externus religionis, quem religio tanquam proximum objectum respicit, sequitur, Deum esse objectum remotum religionis, quia est id, cui ob suam excellentiam religio cultum defert. Unde Cajetanus a. 5. et passim DD. distinguunt duplex objectum religionis, propinquum et remotum. Propinquum vocant *objectum quod*; id est, quod ipsa virtus appetit et affectat; et hoc est cultus divinus. Remotum, *objectum cui*, id est, cui aliquid exhibet: hoc est ipse Deus, propter suam excellentiam.

At virtutes theologice proxime in Deum tendunt et ipsum immediate per suum actum internum attingunt, ut ostensum est. Deinde si in illis velimus distinguere *objectum quod* et *objectum cui*, Deus non solum est *objectum cui*, ut in religione; sed etiam *objectum quod*. Id enim quod charitas Deo vult, est potissimum ipsa divinitas, et divinæ perfectiones: et quod fides credit, est Deus ipse, consideratus vel in seipso, vel ut est principium et finis omnium creaturarum. Sic etiam principale *objectum quod* spei, est ipse Deus. Nec refert *objectum cui* esse ipsum hominem; quia spes ad amorem concupiscentiæ pertinet, qui speciem ab *objecto quod*, non *cui*, acci-

pit. At totum *objectum quod* religionis est creatum: quidquid enim ipsa vult, est opus nostrum.

Nec obstat, quod charitas etiam bona extrinseca et creata Deo optet et velit. Primo, quia hæc solum sunt objecta secundaria et materialia, a quibus virtus speciem non accipit. Simili modo quæ fides extra Deum credit, secundaria sunt.

Deinde, quia proxima ratio formalis objectiva in virtutibus theologice est ipse Deus; charitas enim vult omne bonum Deo, immediate ex affectu ut ipsi bene sit; fides credit omne verum, quod ipse revelavit, propter ipsius auctoritatem: at proxima ratio objectiva cur religio aliquid Deo velit, est ratio debiti; ideo enim vult cultum Deo exhibere, quia est veluti tributum, quod creatura debet suo creatori; sicut ante exemplo justitiæ particularis ostensum est. Neque verum est (si proprie loqui velimus) charitatem, debiti rationem in suo objecto spectare: nam charitas non vult Deo bonum præcise, quia illud ei est debitum, nihil aliud spectando, quam ut huic debito fiat satis: hoc enim potius ad quamdam justitiam erga Deum, quam ad charitatem pertinet; ut exemplis humanis facile ostendi potest. Sed solum spectat ipsum bene esse Dei: ideo enim omne bonum illi vult, ut ipsi bene sit; sicut amicus vult amico bonum ut ei bene sit, non spectans an hoc sit illi debitum, an non; quamvis malit ut sit ei debitum, quatenus hoc in dignitatem et majus bonum amici cedit. Hæc paulo fusius, quia res non nihil difficilis, et a plerisque non satis explicata.

Ad prob. Ant. R. Ex eo quod Deus dicatur coli propter suam divinitatem, non sequitur, immediate versari circa Deum virtutem religionis, sed ipsum cultum, qui est objectum immediatum religionis. Hinc fit, ut religio solummediate circa Deum versetur, non tanquam *objectum quod*, sed *cui*, ut dictum est: religio enim non inclinatur immediate in Deum, sed in aliquid Deo exhibendum, quo ipsius majestatem significet et testetur; sicut justitia particularis non inclinatur immediate in proximum, sed in aliquid proximo reddendum. Cum dico, *Deum esse objectum cultus*, non est ita intelligendum, quasi colere et honorare Deum sit actu vitali ipsum tanquam objectum materiale, vel formale attingere, aut circa ipsum per modum actus vitalis versari (sicut Deum amare, Deo credere); sed est illum attingere aliquo signo, tanquam signatum; vel sicut attingitur is, cui aliquid offertur.

Dices 2º. Oratio et laus attingunt Deum immediate, tanquam objectum, et tamen sunt actus religionis.

R. 1º. Non sunt actus interni immediate a virtute religionis elicti, sed externi ab ea imperati: externos voco respectu virtutis religionis, quæ est in voluntate; sunt enim objecta illius, in quæ affectus religionis immediate tendit, et habent sedem in intellectu. Objectum autem proprium virtutis, spectandum est ex actu interno, in quem virtus immediate inclinatur, qui in proposito est amor cultus divini.

R. 2º. Illos duos actus non attingere Deum, sicut actus vitalis suum objectum, sed sicut signum attingit signatum: sunt enim actus religionis ut signa et testimonia divinæ excellentiæ et nostræ subjectionis. Hinc fit, ut a variis virtutibus imperari possint: oratio enim, quatenus per eam implicite testamur Deum esse auctorem omnium bonorum nostrorum, habere omnium scientiam, et providentiam (hoc enim, orando Deum, ipso facto

insinuamus) est actus religionis; quatenus per eam petimus salutem, et ad salutem opportuna, est actus imperatus spei; quatenus petimus amplificari gloriam Dei, est actus imperatus a charitate: proxime autem semper elicitor a ratione, mediante fide. Idem dicendum de voto et juramento; quia sunt locutiones quaedam practicae, in honorem Dei resultantes. Actus autem virtutum theologiarum longe aliter Deum attingunt, nempe ut objectum cognitum et amatum propter semetipsum.

Dices 3^o. AUGUSTINUS in Enchiridio c. 3. dicit, *Deum coli fide, spe, et charitate*; ergo religio est virtus generalis complectens virtutes theologicas.

R. 1^o. Cum D. THOMAS a. 5. ad 1. dictum sancti AUGUSTINI intelligendum causaliter, quia virtutes theologicae causant in nobis virtutem religionis, qua Deus colitur, et actus ejus imperant.

R. 2^o. Et melius, religionem et cultum interdum accipi generatim pro omni virtutis officio, quo ordinamur ad Deum, quodque instar sacrificii Deo est acceptum. Sic potest intelligi illud Jacobi 1. *Religio munda et immaculata*; etc. et passim in Scripturis pro eodem accipiuntur *colere Deum*, et *servire Deo*. *Servitus* autem (græci *λατρείαν* vel *δουλίαν* vocant) est nomen generale ad omnia bona opera, quibus Deo obedimus et placemus, ut ex plurimis locis constat; Psalm. 2. 21. 99. Luc. 2. Matth. 6. et alibi. Hoc modo videtur ibi accipi a D. AUGUSTINO; et juxta hanc rationem, L. 10. de Civit. c.

describit sacrificium, ut *sit omne opus bonum, quod geritur, ut sancta societate Deo inhæreatur*. Hoc modo passim accipitur in Scripturis.

R. 3^o. Dicitur potest actus fidei, spei, et charitatis dupliciter spectari posse. *Primo*, ut sunt signa, quibus implicite divinam excellentiam profitemur: nam hoc ipso, quod credimus Deo, insinuamus illum esse primam veritatem: dum amamus supra omnia, significamus esse summum bonum, et hac ratione spectari posse tanquam actus externos seu objecta ad virtutem religionis. *Secundo*, ut sunt actus vitales, quibus immediate Deo inhæremus, et tanquam objecto unimur; et sic pertinere ad virtutes theologicas: posse tamen ob rationem prædictam a virtute religionis imperari; et quamvis non imperentur, tamen tacitum cultum continere.

Nec obstat, quod ait D. THOMAS a. 5. ad 4. virtutes theologicas, eo quod versentur circa finem ultimum, Deum, imperare actus religionis et aliarum virtutum quæ versantur circa media: quia etsi hoc virtutibus illis per se conveniat, eo quod per se et ex natura sua circa finem ultimum versentur, tamen per accidens contrarium fieri potest; ut si quis velit uti actu virtutis theologicae ad finem virtutis inferioris; omnis enim actus, qui potest esse medium ad consequendam virtutem aliquam, vel proprium ejus finem, potest ab ea virtute imperari, ita ut ex affectu ejus homo se applicet ad illum actum. Sic religio potest imperare actus fidei, spei, et charitatis; quia hi actus sunt idonei ad finem religionis, qui est honorare Deum. Eisdem imperare potest affectus temperantiae, quatenus ad obtinendum a Deo hujus virtutis donum sunt idonei; eadem est ratio in cæteris. Nam perfectio et finis intrinsecus inferioris virtutis potest intendi ut finis acquirendus per actus superiorum virtutum, quotiescumque hi actus per modum meriti vel dispositionis aliquo modo ad illum valent.

Dices 4^o. Actus virtutum theologiarum ne ut signa quidem videntur ad religionis virtutem pertinere: quia etsi illis Deum eximie honoremus, tamen

non honoramus ut superiorem, protestando nostram subjectionem; quod tamen virtus religionis postulat: unde pater, etsi honoret filium, non tamen illum colit, quia superiorem in nulla re agnoscit.

R. Illos actus ut a nobis fiunt, posse accipi ut signa subjectionis nostræ; quia credimus Deo tanquam Superiori ac Magistro, cui subijcimus omne iudicium nostrum: et amamus illum charitate, referendo et offerendo nos ipsos et omnia nostra ad ipsius obsequium et gloriam; et speramus virtute ac omnipotentia ipsius summum bonum nostrum, id est, ipsummet. Unde patet in his actibus contineri professionem excellentiæ ipsius et nostræ subjectionis ac dependentiæ ab ipso.

10. Ex his patet, religionem, etsi virtus theologica non sit, esse tamen virtutibus theologis valde affinem, et post eas primum locum obtinere. Nam post fidem, spem, et charitatem nihil laudabilius, quam Deo debitum cultum offerre. Confirmatur, eo enim virtus quæque est præstantior, quo vicinius attingit Deum: atqui post virtutes theologicas religio vicinius illum attingit; nempe tanquam objectum, cui cultum defert; ergo.

Dices: Pia affectio ad credendum primæ veritati, obedientia et pœnitentia eodem modo Deum attingunt, nimirum ut *objectum cui*; ergo religio non est his præstantior. Nam illius affectionis opus est credere Deo, obedientiæ obedire Deo, pœnitentiæ satisfacere Deo.

R. 1^o. Cum religio præfertur cæteris virtutibus, quæ non sunt theologicae, eo quod vicinius Deum attingat, accipitur paulo latius, ut omnem virtutem, qua Deo debitum reddimus, complectatur: et hoc modo prædictæ virtutes sub religione continentur. Idque merito, quia opus illarum intrinsece honorem Dei continet. Credere enim Deo, pertinet ad honorem primæ veritatis: obedire Deo, ad honorem divinæ superioritatis et auctoritatis gubernandi: satisfacere Deo, pertinet ad honorem Dei instaurandum, qui peccato erat læsus: sicut petitio veniæ pertinet ad honorem ejus, qui ab altero injuriam accepit.

R. 2^o. Religionem, etiamsi stricte omnino et proprie sumatur ut ab istis virtutibus distinguatur, esse præstantiorem et vicinius attingere Deum, quam vel obedientia vel pœnitentia. De *pia affectione* est alia ratio, quia est veluti pars virtutis theologicae, nempe fidei, et ita sub fide comprehenditur; ac proinde non pertinet ad hanc comparisonem. De illis ergo duabus prioribus patet; quia religio considerat opus suum ut est signum divinæ excellentiæ, illudque non solum Deo exhibet, sed ita exhibet, ut velit illud circa Deum versari, et ejus excellentiam signare. At obedientia, etsi versetur aliquo modo circa Deum ut *objectum, cui* obedit; tamen non considerat opus suum, ut est signum et protestatio quædam divinæ excellentiæ, neque illud defert Deo ut munus quo ipse honoretur et ornetur, sed solum considerat illud ut debitum, et necessarium propter auctoritatem divinam præcipientem, ne videlicet si omittat, Dei auctoritatem videatur contemnere; vel præscindendo ab ista necessitate et obligatione, considerat opus ut habens specialem honestatem a divina auctoritate illud volente et imperante. Sicut enim Deus, ut est prima veritas, aliquid revelando facit illud dignum creditu et credendum secundum rectam rationem: ita, ut est omnium superior, aliquid præcipiendo, facit illud dignum factu, et omnino secundum

rectam rationem faciendum : estque hæc dignitas propria honestas obiectiva, quam respicit obedientia. *Pœnitentia* dupliciter considerari potest. *Primo*, quatenus dolet de peccato, ut est offensio Dei, ejusque malum, illudque conatur tollere tanquam ei displicens, et ut Deo reconcilietur: quo modo non distinguitur a charitate; sed est ipsa virtus charitatis inadæquate concepta, nimirum ut versatur circa ablationem peccati, et reconciliationem cum Deo propter ipsum bonum Dei. Eiusdem enim virtutis est, gaudere de bono alterius, illudque procurare, et dolere de ejus malo, illudque depellere. *Secundo*, quatenus dolet de peccato præcise ut est injuria Dei, et imperat opera satisfactoria ad hanc injuriam sarcendam: hoc modo distinguitur a charitate, et pertinet ad quamdam justitiam hominis erga Deum. Sed non considerat neque imperat opera satisfactoria, ut sunt formaliter signa divinæ excellentiæ, quibus Deum veluti ornet et honoret; sed ut sunt vindicta peccati, qua Deo pro injuria illata satisfiat, et jus ejus violatum quodammodo instauretur: sicut cum quis homini pro injuria illata satisfacit dolendo, et se accusando, affligendo, veniam petendo, non intendit per hoc formaliter illum honorare, sed pro injuria satisfacere.

11. *Dico IV.* Religio non distinguitur a virtute *pietatis, observantiæ, et gratitudinis* in Deum. Colligitur ex D. THOMA q. 106. a. 1. ad 1. ubi dicit: *Sicut religio est quædam superexcellens pietas; ita est quædam superexcellens gratitudo, et ex Cajetano q. 107. a. 3.*

Probatur; quia *pietas* proprie est, quæ debitum cultum reddit parentibus; *observantia* personis in dignitate constitutis; *gratitudo* benefactoribus: ratio autem parentis et personæ eminentis et benefactoris continetur in Deo excellentissime; ergo etiam debitum erga illum ut parentem, personam sublimem et benefactorem, est summum: atqui hoc debitum non distinguitur a debito erga primum principium; ergo virtus, quæ respicit hoc debitum, non distinguitur a virtute religionis, quæ respicit cultum, primo nostri et rerum omnium principio debitum. Unde recte Cajetanus infra q. 107. a. 3. notat, has virtutes, pietatem, observantiam, et gratitudinem, dupliciter existere: primo, formaliter in suis propriis speciebus: secundo, eminenter in superiore virtute, quæ est religio. Ratio est, quia objecta earum (quibus deferunt suas functiones) continentur eminenter in objecto, cui deferunt religio: et debita earum, ob quæ deferunt, in debito religionis.

Adverte tamen, esse valde probabile, gratitudinem per se esse virtutem distinctam a religione, quia formaliter respicit debitum ortum ex beneficio; religio autem hoc non respicit ut objectum formale, sed ut motivum seu impulsivum ad actum.

Idem dixerim de *fidelitate* erga Deum. Hæc enim respicit debitum ortum ex promissione, illudque solvit non ex affectu Deum honorandi proprie, sed ex affectu satisfaciendi debito ex promissione contracto: qui duo affectus videntur omnino distincti; quamvis actus alterius ab altero vicissim imperari possint. Nam ex affectu Deum honorandi, possum velle solvere promissa, et gratias agere; et ex affectu solvendi promissum, et referendi gratias pro beneficiis acceptis, possum velle honorare. Recte tamen hæc virtutes referuntur ad religionem. *Primo*, quia versantur in materia religionis; nam quidquid promittimus Deo, vel pro beneficiis referimus, ad religionem pertinet, cum

nihil præter honorem ei donare possimus. Virtutes autem secundum modum loquendi Patrum censentur distingui, vel non distingui ratione materiæ potius, quam ratione interni affectus præcise et formaliter considerati. Unde juramentum est actus religionis, etiamsi non fiat affectu religionis; similiter oratio, solutio decimarum, etc. Et jejunium est opus temperantiæ, etiamsi non fiat affectu temperantiæ, sed justitiæ vel pœnitentiæ. *Secundo*, quia debitum gratitudinis et fidelitatis erga Deum crescit ratione excellentiæ ipsius. Unde in praxi dum nos gratos et fideles præstare volumus, maxime spectamus divinam excellentiam cui obstricti sumus, ne si neglexerimus, illam inhonorasse videamur. Denique hoc ipso quo quis recte dispositus est ad debitum honorem Deo exhibendum, etiam bene dispositus est ad solvenda ei promissa et gratiarum actionem: et neglectus horum censetur quædam Dei inhonoratio. Itaque videtur ratio religionis in illis quodammodo includi.

CAPUT II.

DE ACTIBUS RELIGIONIS.

12. Divus THOMAS enumerat varios actus religionis, alios internos, alios externos. Internos ponit duos, *devotionem* et *orationem*. Externos facit reliquos, *adorationem, sacrificium, oblationem primitiarum et donorum, oblationem decimarum, votum, juramentum, adjurationem, laudem*; quibus infra adjungit *gratiarum actionem*: quæ duo postrema commode sub oratione comprehendi et tractari possunt. Nam secundum D. THOMAM q. 83. art. ult. *gratiarum actio* est pars orationis; similiter laus, quæ fere semper petitioni miscetur, ad orationem pertinet, tanquam pars vel species quædam illi us.

DUBITATIO I.

QUID SIT DEVOTIO.

13. R. Hoc nomen dupliciter accipi. *Primo* ut significet specialem actum religionis, et sic *devotio* nihil est aliud, quam interna quædam sui ad cultum divinum oblatio et traditio. Sicut enim qui alicujus Principis obsequio totum se tradit et devovet, devotus dicitur illi Principi; ita qui ex affectu cultus et honoris divini se totum mancipat Deo, facit actum peculiarem religionis, qui dicitur absolute devotio, et a quo dicitur quis Deo devotus. Potest autem id fieri vel cum voto, vel sine voto: si cum voto vel juramento fiat, nascitur obligatio; eritque devotio magis perfecta: si autem fiat absque tali vinculo, non inducet obligationem; quia fiet solo proposito, et hujus propositi explicatione: sicut dum homo explicare volens suum affectum et animi propositum dicit Principi: me totum trado tuo obsequio. Unde Divus THOMAS a. 1. ad 1. recte dicit, *devotionem esse actum voluntatis hominis*